

DISSERTATIONIS THEOLOGICÆ

DE JUSTO EX FIDE VIVENTE

Rom. I: 17, Gal. III: 11, Hebr. X: 38,

Coll. Habac. II: 4.

PARS POSTERIOR, THEOLOGICA,

QUAM,

CONS. MAX. REV. FACULT. THEOL. AB.,

PRAESIDE

Dott. ANDREA JOHANNE LAGO,

Theol. Prof. Publ., Ord.; Fac. Theol. h. t. Dec.

Imp. Ord. de S:to Wolodimiro in IV:ta Cl. Equite,

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

JOHANNES LUDOVICUS RUNEBERG,

Ostrobotnienfis.

In Auditorio Theol. die XVII Junii MDCCCXXVI.

h. a. m. c.

ABOÆ, Typis FRÆNCKELLIANIS.

Particulam Dissertationis hujus priorem, exegeticam, edit,
atque, ex speciali S. Imperialis Majestatis gratiosissima ve-
nia, Præses, die XIV Novembr. MDCCCXVIII, defendit Litterarum Orientalium, dam viveret, Adjunctus Ord. CAROLUS
JACOBUS A TENGSTRÖM. Typis exprimendam banc quoque poste-
riorem, Theologicam, curaverat, eandem alio tempore vul-
gare, in animo habens; at consilium hoc intercepit mors præ-
matura, in flore ætatis virum, die XXV Aug. MDCCCXXIII,
abripiens. A nobis itaque, ut opusculum in lucem publicam
emitteremus, petiti defuncti Parens Venerabilis, ArchiEpisco-
pus Finlandiæ, Universitatis Litterarum hujus antehac Pro-
Cancellarius, plurimumque Ordinum Eques, Reverendissimus
Dominus Doctor JACOBUS TENGSTRÖM. Cui quidem honestæ
rogationi eo minus refragari potuimus, quod et dignam, quæ
lucem publicam videret, opellam judicaremus, et multis no-
minibus Seni devenerando obstrictos nosmet esse, intelligere-
mus. Cur itaque nomine nostro munitum jam prodeat opus
alienum, heic habes, Candide Lector,

Præses,

§. 5.

Expositis jam breviter præcipuis, quæ ad exegeticam rei tractandæ rationem pertinent, brevem denique & succinctam Doctrinæ quam maxime palmariae de *Justificatione hominis peccatoris coram Deo* epilogiū s. dilucidationem Biblico-Dogmaticam, ad præcepta Formulae fidei γνῶσις Lutheranæ informatam, eo lubentius adjungere placet, quo probabilius nobis sit, attentionem meditationem effati Paulini, cuius genuinum sensum jam in antecedentibus qualitercunque explicare conati sumus, Reformatori immortalis memorie primam potissimumque suppeditasse ansam saluberrimi capiendi consilii, de profligandis tenebris & erroribus, quibus hic præprimis Locus Theologicus in Systematibus Ecclesiæ Romano-Catholice dudum coopertus & corruptus jacuerat. Refert namque Georg. Mylius (etiam Müller dictus) Theol. Professor primum Jenensis, dein Wittenbergensis, mortuus 1607, in *Explicatione Epistolæ Pauli ad Romanos*, hæc aurea & divina verba: ὁ δικαιος εν πιστεως ζητει, jam quidem dudum & in auribus & in animos b. Lutheri sonuisse, fulminis vero instar ipsum percussisse, cum a. 1510 Romam a Superioribus ad negotia varia Ordinis sui (*Augustinorum* nempe, cui inde ab anno 1505 adscriptus esset) procuranda ablegatus, juberetur nudatis provolutus genibus, scelas sic dictas Pilati ascendere, quo ubiores, hanc ipsam ob causam, ei contingenter *Indulgentiæ*, ipsumque jam tunc indigenabundum tulisse, tetris hujusmodi technis & superstitionibus, genuinam Evangelii Doctrinam de remissione peccatorum unice per fidem in Christum impetranda, insipienter adeo, quin imo noxia & sacrilega temeritate, obscuratam & corruptam fuisse; quæ pia animi sensa, quo forti & imperterritu animo, & quonam felicissimo successu, postmodum uberioris explicuerit, & per orbem Christianum demum ulterius propagaverit, cuius in confessio est.

Summa vero Dogmatis Biblico-Evangelici de *Juſtificatio-*
ne noſtra coram Deo, quam in formam & commode & con-
cinne redigi posſit, jam breviter monstrare conabimur.

Sumus omnes, quotquot mortalibus parentibus vitam de-
bemus, *peccatores*, ad mala quævis proni & proclives, a bono
vero prorsus alieni, segnes & inepti ad ea meditanda, aman-
da, exsequenda, quæ Deo placeant, ejusque præceptis congru-
ant; quam dolendam naturæ humanae indolem, inde ab anti-
quissimis generis nostri primordiis, agnoverunt jam in gente
Judaica *Moses Gen. VI: 5, VIII: 21, Jobus IX: 2, Davides*
Pſ. XIV: 5, Jesaias LXIV: 6 & alii; agnovere itidem olim
& Orientis & Græciæ Philosophi celeberrimi, in primis vero
qui Socraticæ & Platonicae Disciplinæ placitis imbuti, seniora
de Deo, de ejus Providentia, de origine mali, de summo
bono, de animi immortalitate, & de omni denique re morali,
& ore & scriptis profesi sunt; dolent vero & testantur præ
aliis Scriptores N. Testamenti pene omnes, consilia saluberrima
Dei t. o. m. de genere nostro miserrimo per Christum re-
dimendo & salvando celebrantes; e quorum perplurimis ora-
culis, sufficiat attulisse sequentia, nempe Pauli Rom. III:
9, 10, 11, 12, 19, 23, V: 12, 18, 19, Gal. III: 22, Jaco-
bi Ep. III: 2, Johannis Ep. 1: 8 &c., quæ rem tristem, proh
dolor, extra omnem dubitationis aleam collocant.

Generalem vero hancce generis nostri corruptionem &
vitiositatem naturalem comprobat præter haec uberrime omni-
um anteactorum temporum, ut & quotidiana nostri ævi expe-
riencia, quæ nempe docet hominem quemcunque nasci, si non
omnino pravum, attamen ita factum sicutumque, ut inde ab
incunabulis fere sensuum & affectuum suorum obnoxius im-
perio, antequam rationem consulere eidemque obtemperare
didicerit, ad mala potius quam ad bona sectanda, suomet ipsi-
us nutu, aliorum quamvis nondum corruptus & seductus vi-
tiis, propendeat, siveque suo etiamnum confirmet exemplo,
quod

quod dudum jam cecinit Vates Romanus notissimus: *Nitimus
in vetitum semper cupimusque negata.* Educatione, institutione
& incitamentis ad peccata varia sectanda, committenda, haud
indiget; crescunt & florent sponte sua, lolii & tribulorum in-
star in agro quovis sibi relicto, lætioribusque virtutum satis,
si vel semina carum in tam depravato & infœcundo solo ger-
minare valeant, stragem & ruinam cito afferunt. Esto, sa-
pienti & follerti tam parentum quam præceptorum cura, ad-
hibitisque diligenter tam Religionis quam doctrinæ moralis ad-
jumentis, posse juvenem sensualitatis & cupiditatum vinculis
quadantenus solutum, ad vivum boni & honesti amorem in-
formari, ipsumque ab ephebis inde præclaris hisce sensibus &
principiis innutritum, pietati, humanitati & virtuti strenua sua
impigraque addicere studia; hujus vero optimi propositi quam-
vis sibi vere conscius, imo tenacissimus, officiorum suorum
tam in Deum quam alios licet jugiter, quoisque fieri posit,
memor, num valebit per omnem vitam illis adeo invigilare,
& quæ sibi injuncta, suaque in potestate sita sunt, perfecte a-
deo omnibusque numeris absolvere, ut inertiae connatae affe-
ctibusque suis semper superior, ut ab omni metu, invidia, sua
utilitatis partiumque quarumvis studio vacuus, unquam vel
agendo vel omitendo, nec in secundis nec in adversis, a via
virtutis vel transversum ungvem deflexerit, adeoque emenso
stadio, imperterrita animo & erecta fronte Deum omniscium,
Legum suarum acerrimum vindicem, testari audeat

Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa?

Leges vero divinæ, tam revelatæ quam naturales, ejus ri-
goris & latitudinis sunt, exiguntque omnes tam assiduam &
accuratam earum obseruantiam, tam illibatam boni & recti re-
verentiam, tam sincerum Dei & proximi amorem, ut certe
nemini mortalium insirmitatis sua sibi conscio, gloriari liceat,
se nunquam vel minimum eorum præceptum neglexisse, vio-
lasse, sua vero & animi sensa, & verba & facta quævis, ad
nu-

nutum & præcepta summi, sanctissimi Legislatoris semper & ubi vis fuisse composita; quin potius quemque ingenuum mancarum suarum virtutum æstimatorum cum Davide fateri & precari decet: שגיאות מירובין מינסחרות נקי, h. e. Quis errores suos, quot fuerint, perspicere valet? Occultorum veniam mihi largire Pl. XIX: 13, אל חבוа במשפט אה-עכדר כי לא יצדך לפניו כל-חי h. e. Ne descendas in judicium cum servo tuo, nam non erit ullus vivens justus in conspectu tuo Pl. CXILIII, 2.

§. 6.

Posita sic & evicta tanta tamque universalii naturæ nostræ imbecillitate & corruptione morali, corpore mortales, jam dudum sinistra quævis & infasta sibi jure a Deo Omnipotente & Justissimo, inexorabili omnis nequitiae ultiore, olim metuentes, varia ipsius placandi, favorisque ejus sibi conciliandi excogitare adminicula, utpote castigationes multiplicis generis & mentis & corporis, preces solemnes, lustrationes, aliasque ad ipsum colendum & expiandum ejusdem furfuris constitutas superstitiones cæremonias, in primis vero oblationes, dona & sacrificia perplurima, tam cruenta quam incruenta, quorum exhibendorum morem omnibus fere gentibus, omnibus seculis notum & communem fuisse Historia teste novimus; donec placuerit generis nostri Statori Optimo Maximo consilia sua æterna, admiranda, benignissima, de nobis miseris salvandis & in integrum restituendis, specialissimæ suæ revelationis ope, primum Judaicæ genti per Prophetas, sapientiæ suæ Divinæ fidos Interpretes, & tandem per unigenitum suum Filium ejusque Apostolos, omnibus aperire Orbis terrarum incolis, eosque ad gratiæ uberrimæ in Christo datæ communionem undiquaque invitare, & in unam sanctam & catholicam Ecclesiæ colligere.

Contigisse nobis hæcce immensa Dei per Christum beneficia ex mera ejus gratia & paterna in nos homines benevolentia,

lentia, sine ullis nostris meritis, quis est qui non gratissima & venerabunda mente in æternum agnoscat, lætusque in memoriā sibi quotidie revocet testimonium hujusce rei optimi Salvatoris dulcissimum, jucundissimum, synopsis & nucleus quasi totius Evangelii continens: ἔτω πραγμάτου ὁ Θεός τού κοσμού, ὥστε τον υἱον αὐτοῦ τον μονογενῆ εδώκεν, ἵνα πᾶς ὁ πιστευων εν αὐτοῦ μη αποληπται, αλλ' εχη̄ ζωὴν αἰώνιον Joh. III: 16. (*). Si enim, prout oportet, ad Deum, cœlestem nostrum omnium Patrem optimum, indulgentissimum, referimus bona quævis temporalia, quibus ex benevolia ejus institutione in vita nostra communi abunde adeo fruimur, hæcque nobis concessa bona gratuita omnino esse lubenter fatemur; quidni piis iisdem animi sensibus, imo potiori jure, ultro agnoscamus, nos quoque spiritualem omnem & æternam nostram felicitatem eidem omnis boni supremo largitori totam quantam debere, nil valere nostras imperfectas virtutes, nostra pusilla merita, perplurimis, inumeris fere nœvis, peccatis & infirmitatibus cooperta, ad favorem summi & perfectissimi Numinis nobis comparandum, spem itaque omnem veniae & salutis, tam in hac quam in futura vita adipiscendæ, nobis ex sola immensa gratia & misericordia Dei concessam esse; cuius summi nostri Evergetæ adeoque est, modum quoque s. viam hujus & offendendæ & consequendæ felicitatis, pro sapientissimo & liberissimo suo arbitrio, constituere.

Ipsum jam ante jacta mundi fundamenta, b. e. ab æterno, nos in Christo elegisse, & omni spirituali benedictione per eundem huncce salutis nostræ auctorem cumulasse, quo a peccatorum nostrorum culpa & poena per passionem & mortem ejus immunes, sancti & innoxii simus coram ipso in caritate, fideque firma, ejus gratiae, ejus promissionibus & expiationi

cru-

*) Conf. quæ in eandem mentem occurrunt Rom. V: 8, Eph. II: 8
I. Job. IV: 9, 10 & alias.

cruentæ habita, remissionem peccatorum, iustitiam, pacem conscientiae, & vitam denique æternam per & propter Christum obtineamus, innuunt satis superque jam allata N. T:ti loca, testantur vero adhuc uberior & clarior dulcisimi dogmatis veritatem, quæ de se suoque adventu in mundum proponunt *Salvator ipse Matth.* XX; 28, XXVI: 28, *Joh.* VI: 51, X: 11, XIV: 6; *Petrus Act.* X: 43, *Paulus Act.* XIII: 39, *Rom.* III: 24, 25, IV: 25, V: 1, 10, 18, 19, VI: 23, VIII: 32, 34, *2 Cor.* V: 19, *Eph.* 1: 3—7, *Col.* 1: 12—14, *Ebr.* IX: 11, 12, 15, 28, & *Johannes Ep.* 1: 7, 11: 1, 2, reliquos N. T:ti Scriptores ut taceam, eundem doctrinæ typum de Christo ejusque morte & expiatione unanimi consensu servantes. Num vero & alia ratione nos miseriæ peccati eripere & saluti nostræ æternæ consulere Deus potuerit, subtiliter & magna cum animorum contentione, olim disputare solebant Theologi varii Scholastici; sed cujusmodi, ut & plures alias ejusdem generis huic loco injectas curiosas magis, temerarias atque spinosas, quam pias & utiles quæstiones, jure sprevit senior recentiorum temporum Theologia, stupendum mysterium de incarnatione Filii Dei & redemptione mundi, ipius merito peracta, non hebetis humanæ rationis vacillanti judicio, sed pio & indubio fidei assensui subjiciens.

§. 7.

Sed quemadmodum Deo sapientissimo, & generis nostri amantisimo, ab æterno placuit τον ὑπερβαλλούτα πλετον της χαρίτος αυτει καὶ πολυποικιλον σοφιαν luculentissime monstrare, cum miseros mortales, certo certius alias perituros, per Filium suum unigenitum promeritis poenis liberare, & salutem perditam ipsis restituere decerneret; ita & ex eodem benevolo arbitrio Fidem unicum gratiae in Christo datae accipiendæ constituit adminiculum, (*) s. medium, adeoque non causam qua-

^{*}) Cfr. Tractatum J. A. Ernesti Opusc. Theol. *Vindiciae arbitrii Di-*

quandam meritariam, quæ scil. unice in redemtione Christi quærenda & ponenda est, sed tantummodo quasi conditionem justificationis & οργανον quoddam ληπτικον, quo gratiam sibi oblatam recipit sibique appropriat, sive justitiam Christi Mediato-ris suam adeo facit, ut vi illius remissionem omnium peccatorum suorum gratis, & sine ullo operum suorum merito, consequatur, justus coram Deo reputetur, nisumque & vires simul nanciscatur, nova sua obedientia virtutibusque vere Christianis commonstrandi, quid valeat in homine regenerato & justificato amor Christi, & quam lubens, quo gratissimo in Jesus animo, hunc salutis suæ auctorem & principem prosequatur, amplectatur, colat & in oculis quasi habeat, Rom. IV: 5, 16, 24, VIII: 1, 2, XI: 6, Eph. II: 8, 9, Tit. III: 5 &c.

Cum vero constet vocabulum *Fidei* (Hebr. אמונה & θεωρία, Gr. πίστις) in scriptis tam Veteris quam Novi Testamenti πολυτημένον esse, nonnunquam latiori, alibi strictiori sensu adhibitum, in antecesum disqvirere & lubet & oportet: quonam in primis sensu occurrat & explicandum sit, cum de *Justificatione hominis peccatoris per fidem in Christum* quæstio instituitur. Ne vero multi simus in exponendo argumento, toties & Theologis & S. S. Litterarum idoneis Interpretibus solerter tractato, paucis tantum observasse sufficiat, nec significacionem vocis *Moralem*, qua fidelitatem, sinceritatem, veracitatem & conscientiam denotat, e. g. Exod. XXXIV: 6, 2 Reg. XII: 16, Rom. III: 3, Gal. V: 22, nec *objectivam* illam s. *metonymicam* pro *doctrina* Evangelii, quam & in Scholis Theologorum *fidem* quæ creditur appellare solent, e. g. Act. VI: 7, Rom. 1: 5, Gal. III: 23, 1 Tim. IV: 1, 6, & alibi, hoc loco obtinere, sed *subjectivam* ejus notionem heic potius amplectendam esse, vi cuius *assensum* quemcunque verbis,

vini in Religione confituenda passim, in primis vero partem ejusdem III:am, ubi demonstrat, Deum arbitrio suo in Religione confituenda, magna cum gloria sua & hominum utilitate, usum esse.

verbis, præceptis, promissionibus vel minis, sive Divinis sive humanis, datum in genere exprimit, e. g. Gen. XV: 6, Exod. XIV: 31, Matth. VIII: 10, XV: 28, Luc. XVII: 19, Act. VI: 5 Hebr. XI: 1—11 ad quod genus fidem sic dictam *miraculosam* jure quoque retuleris. *Deo itaque credere*, vel ex formula dicendi *Hebraica*, in *Deum credere*, significat in genere: dicta & promissa ejus pro veris habere, adeoque & totam salutis doctrinam Sacris Pandectis, tam Veteris quam Novi Testamenti, comprehensam, veram & Divinam agnoscere, non ex cœca quadam & temeraria superstitione, sed ex pia verecundia & sancta in *Deum reverentia*, quoniam *ille unus & solus est fons nostræ felicitatis*, *idemque nobis imperfectis longe perfectior*, adeoque *cum assensu a nobis audiendus*, ubi de adipiscenda felicitate certa per *Deum* quaritur. (⁹).

Hic itaque sapientissimus, veracissimus, idemque generis nostri Paren̄s optimus, indulgentissimus, cum & per Filium suum unicum, dilectissimum, & in Sacris Litteris, quas per alios Legatos suos fide dignissimos consignandas curaverat, nobis miseris, iræ Dei & æternæ damnationi obnoxii peccatoribus, abscondita & gratiissima sua consilia de mundo per Jesum Christum ejusque obedientiam tam *passivam* quam *acti-
vam* salvando aperuerit, fidemque immotam his suis consiliis & promissionibus habendam conditionis loco posuerit, sine qua præstata & impleta nemo gratiam in Christo datam & oblatam adire queat, hæc fides s. læta & denique firma animi persuasio, quod ḏωγεαν & γαρ τα Xαριν h. e. unice per & propter Christum ejusque meritum, veniam peccatorum, gratiam Dei, & denique, summum *omnis* justitiae & pietatis præmium, vi-

tam

(⁹) Rem optime, ut nobis quidem videtur, his verbis expressit S. F. N. Morus in *Epit. Theol. Christianæ* P. V. C. I. De notione & natura Fidei § 4.

tam æternam certo certius consequamur, *Fidei Salvificæ nomine* proprie & *κατ' εξοχην* venire solet, habita certe ratione effati Christi Marc. XVI: 16, (etiam *Fides qua creditur*, stylo ecclesiastico nominata), quo sensu vocabulum πίστις pluribus jam allatis N. Testi locis occurrit, quibus addi posunt Gal. II: 16, 20, Eph. II: 7, 8, Phil. III: 9, et multa alia.

Proximus jam hujusmodi vivæ & salvificæ fidei effectus est *Justificatio πιστευοντος eis ονομα του Ιησου Χριστου* coram tribunali integerimi & sanctissimi Judicis, qui ob præstitam plenariam Mediatoris Θεαυτησην satisfactionem, quam fide Evangelica peccator gratiæ indigus sibi speciatim propriam facit, ipsum & culpa & poenis omnium delictorum suorum immunem reddit, h. e. αφεσιν αμαρτιων ipsi annunciat, (Act. XIII: 38) filium & amicum suum declarat, serio bonorum operum studio instruit & auget, hæredemque tandem salutis æternæ constituit. Sensu itaque forensi vocabulum *Justificationis* in hoc dogmate a nobis usurpari apertum est, (prout dicitur, judicem in foro humano reum absolvere,) hominemque coram Deo *justum* pronunciari, non ob ipsi quasi infusam vel inhærentem internam quandam sanctitatem & mentis rectitudinem, sed ob justitiam Salvatoris ei fidei ope imputatam, vi cuius in judicio Divino reputatur ac si insons omnino fuisset, vel faltim qui peccata sua plene expiasset, satisque omnibus legis Divinæ præceptis fecisset; qua forensi significatione vocabulum *justificare* (Hebr. הָצִיר, Gr. δικαιεσθε) adhibetur Deut. XXV: 1, Prov. XVII: 15, Matth. XII: 37. Act. XIII: 38, 39 & alibi.

Patet hinc, justificationem nostram haud esse derivandam ab operibus Legis, nec ab ulla nostra propria sive interna sive externa justitia, de qua quidem magnopere gloriari solebant prisci Abrahams posteri, & gloriantur adhuc hodie multi pharisaica sua philautia inflati & occœcati, qua vero, utpote valde inepta & imperfecta, perpetrata a nobis immumera peccata,

D

haud-

haudquaquam expiare, multo minus gratiam & misericordiam Dei unquam mereri valebimus, cum certe nil meriti inesse pos sit in virtute, ad quam vel perfectiorem multo, imo perfectissimam, præstandam ex absoluto legis imperio obligati sumus: veniam vero omnem, qua opus habemus, referandam esse ad fidem vivam & sinceram in merito Christi collocandam, vi cuius nos poenitentia & dominio peccati solvit, nos Deo gratos & acceptos reddit, certamque futuræ beatæ immortalitatis spem in nobis excitat, fovet atque confirmat; quam suavissimam & solatii plenam Doctrinam Ap. Paulus pluribus locis, & ex professo quasi in suis ad Romanos & Galatas datis Epistolis, solidissime pertractat; e quibus tot testimonia idonea huc facientia jam in antecedentibus excitavimus, ut plura illis addere jam pro supervacaneo omnino habeamus.

§. 8.

Quamvis vero pro beneficio Divino omnino gratuito, quod nempe ex fide sola nobis contingit, minime pro premisso quodam nostræ obedientiæ & virtutis promerito, habenda sit Justificatio nostra coram Deo; hinc tamen non sequitur, hominem fide justificatum immunem et solutum esse omni obedientia Legi præstanda, cum fructus veræ fidei & indivulsi ejus comites semper sint pii & venerabundi sensus in Deum, reverentia inviolabilis omnium eorum, quæ & in Lege & Evangelio suo præcipit, vivus & integerrimus amor proximi, et ardentissimum studium bonis quibusvis exercendis operibus dulcissimi Salvatoris premendi vestigia, gratisimum suum in tantum benefactorem testandi animum. Hominem in apertis vitiis pravo & destinato consilio perseverantem Deus omniscius & sanctissimus justum & pium habere, præmissque soli virtuti debit is ornare nec vult nec potest, cum alias ipsa prima principia omnis recti & honesti, omnemque ordinem mundi moralis, a se sapientissime constitutum, tolleret; quid! quod

quod in ipsa hominis natura positum sit, eum felicem suaque sorte beatum esse non posse, nisi virtutem amet & exerceat. Omnis enim voluntaria aberratio a præceptis Divinis, Deo necessario displicet, qui nos non ad peccati servitutem, sed ad sanctitatem & bona patranda opera condidit, perfectionem nostram moralem deprimit & minuit, animum & conscientiam acerbis angoribus infestat, varia imo physica mala nobis contrahit, adeoque nos, qua tales, felices esse haud sinit; quare & Johannes Baptista, & Salvator ipse, docendi sua munera aggressuri, primo loco & ante omnia in futuris regni coelestis civibus & fidem & omnimodam mentis emendationem s. *metarvoray* postularunt, Matth. III: 2, IV: 17, h. e. ut una cum fide, effatis & promissionibus Evangelii habenda, pristinam peccandi libidinem & in veterata vita deponerent, melioremque & sentiendi & vivendi rationem, adeoque novam & aliam quasi mentis indolem, induerent.

Hanc constanter eandem & invariataam dein perslitisse & Christi & Apostolorum ejus de fide & bonis operibus Doctrinam, quam & sermonibus & scriptis suis ubique non minus Judæis quam gentilibus proposuerunt, inculcarunt, quævis fere N. T:ti pagina satis superque comprobat; e quibus innumeris pæne, quæ pro rei veritate afferri possent, testimoniis sequentia apponere sufficiat: Joh XV: 5, 8, 10, 12, Rom. VI a capite ad calcem, XII: 1, 2. 2 Cor. V: 15, VI: 4—7, VII: 1, Gal. V: 6, 22—24, Eph. II: 8, 9, 10, Tit. II: 11—14, Jac. II: 17, 18, 22, 23, 2 Pet. I: 5—8, 1 Joh. I: 7 seqq. III: 3, 7, 9 &c., unde affatim patet, verum & genuinum amorem Dei, qui ipsam quasi esentiam & medullam Fidei salvificæ constituit, non posse vacuum esse æque genuini & sinceri amoris in omnes eodem Novi T:ti sanguine nobiscum redemptos, ejusdem spei & salutis socios, fratres nostros in Jesu Christo dilectissimos; ex quo vivo amoris fonte & scaturigine facile dein & sua quasi sponte quævis virtutes Christianæ bonaque opera uberrime emanabunt, fidei veræ statusque gratiæ in-

indubia documenta, perfectionis Evangelicæ continuo promovendæ efficacissima administricula.

Patet jam hinc bona opera, ad normam Legis Divinæ præstanda, quamvis gratiam & salutem haud mereantur, tamen necesaria omnino esse in homine justificato, utpote a Deo solemniter & æternum insolubili obligatione nobis injuncta, neminemque, ob intimum virtutis & felicitatis nexum, salvum unquam fieri posse, qui non serio & impigerimo nisu bonis quibusvis operibus exercendis studeat. Tantum quoque abest ut Doctrina Evangelica de remissione peccatorum gratuita, sola Fide obtainenda, securitatem carnalem promoveat, segnesque nos reddat in officiis nostris erga Deum & alios observandis, ut potius jure contendere queamus, immensum beneficium, quod nobis ex mera gratia & absque ullo nostro merito confertur, nos fortissime excitare, & vi quasi irresistibili ducere, ad præcepta Divina ultro servanda, & sanctimoniam vitæ omni quo fieri posit studio sectandam; quo sic coram Deo & hominibus testatum faciamus, quo gratissimo animi affectu Salvatorem prosequamur optimum, maximum, cui omnem nostram & in hac & in futura vita debemus salutem, atque simul quæ & quanta sit redēptionis & sanguinis ejus vis ad conscientias nostras immunditie mortuarum actionum purgandas, quo Deo venti eo sanctius & lubentius serviant. Ebr. IX: 14.

Accedit ad hæc, quæ de necessitate ut & de eximio bonorum operum pretio jam dicta sunt, quod, dum voluntatem reliquaque animi nostri vires emendant & perficiunt, felicitatem quoque nostram insigniter augeant, præmiis nobis paratis bonæ conscientiae jam hac in vita, imo futuris majoribus & uberrimis, quibus Deus se illa omnia vel minima olim remuneraturum pollicitus est, quamque spem & effata ipsius Salvatoris, & per plurima alia S. S:rae dicta egregie confirmant, e. g. Matth. V: 12, X: 42, XVI: 27, XIX: 29, XXV: 21, 23, 34—40, Rom. II: 6, 7, VI: 23, Gal. VI: 7, 8, 2 Tim. IV:

IV: 7, 8 & plura alia. Quæ bonis plerumque operibus constituta præmia Χαριτος & Χαρισματων, interdum vero etiam μισθε s. στεφανω nomine celebrata, nobis tamen minime meriti cuiusdam titulo contingunt, sed æque ac remissio peccatorum ex sola bonitate Dei, per Christum nobis acquisita & obligata, vi cuius nempe idonei facti sumus ad ea sectanda & exercenda quæ ipsi placeant 2 Cor. III: 5, 6, Phil. II: 13, Col. I: 12, idque ea ratione & mensura, ut quo longius in via virtutis progredi, & quo plura & perfectiora bona opera hic patrare valeamus, eo majora quoque & præstantiora evadant bona illa cælestia, quibus olim in altera vita maestabimur, remunerabimur; quo sic continuo ferventiusque crescat & perficiatur pietatis nostræ studium, fidesque nostra δι αγαπης ενεγγυεμη, novis quotidie confirmetur incrementis, & per omnem vitam adiunctis inclarescat fructibus.

§. 9.

Exposita sic & ad normam S. S. Litterarum accurate informata Theoria, hacque ut nobis quidem videtur genuina & simplicissima, Ecclesiæ nostræ Lutherano-Evangelicæ de Justificatione hominis peccatoris in foro Divino, quam & perfectionibus Dei, & principiis æternis boni & recti, & morali denique hominis naturæ felicitatique ejus apprime convenire, quisque a partium studio alienus gravissimæ rei arbiter ultro fatebitur; mirari certe convenit, illam nihilominus inde ab antiquissimis Ecclesiæ Christianæ temporibus, variis dubiis, objectionibus & controversiis suis agitatam, variis erroribus & hæresibus afflictam, perverseque & superstitiose quondam traditam, ansam præbuisse corruptelis variis funestis, ne dicam impiis, in Ecclesiam Christi invehendis, unde maxima denique in re morali mala & gravissimæ piorum animorum offensiones obortæ sunt. Novimus nempe ex pandectis N. Testamenti jam Christo, genuinæ Deoque acceptæ justitiæ tam præconi quam restitutori, rem olim inter Judæos suis & cum Sadducæis,

Epi-

Epicureismo faventibus, præmiaque quævis virtutum, ut & supplicia vitiorum futura negantibus, & in primis cum *Phariseis*, omnem justitiam ex sola externa & hypocritica Legis Mosaicæ observatione fastuose deducentibus, nullo habito respectu ad internam mentis magis minusve piam indolem; contra quos utriusque generis adversarios, & genuinæ Evangelicæ virtutis rationem præmiaque & necessitatem gratiæ Divinæ fortissime vindicavit. Similes fere his lites dein Apostolorum quoque ævo gestas & continuatas fuisse, Scripta eorum comprobant; cum enim PAULUS totus fere in eo esset, ut justitiam, quam ex operibus Legis, & Mosaicæ disciplinæ inviolata reverentia totam quantam derivare voluerunt Judæi, tamquam ineptam & coram Deo insufficientem rejiceret, veniamqve peccatorum nobis ex mera gratia & per solam fidem in Christum contingere demonstraret; JACOBUS ab altera parte contra securos & præfractos tam legum Mosaicarum, quam omnis veræ pietatis & virtutis contemtores, de fide sua mortua multa ambitionis jactitantes, urget nudam oris confessionem & assensum Religioni Christianæ exhibitum, nec ad justitiam nec ad salutem ullo modo sufficere, adesse vero debere necessario in quovis vero Christiano bona quoque opera, tamquam unica veræ fidei testimonia; ex qua diversa omnino horum Apostolorum disputandi ratione et fine, facile apparentem illam *εὐαγγελίων* explicare licet, quam inter effata quædam ipsorum in hoc dogmate tractando juxta se posita nonnulli horum locorum Interpretes se iuvenisse opinati sunt.

Qui sequentibus primis Christianismi Seculis hanc eandem Doctrinam exponere aggressi sunt, simplicitate quidem omnino Apostolica uno quasi ore statuerunt, homines ex gratia Dei per Fidem in Christum justificandos & salvandos esse; incautius tamen non numquam, magnaque verborum tam varietate quam incuria, vim simul commendantes eximiam Christianæ sanctitatis & bonorum sic dictorum operum, ut martyrii, eleemosynæ, jejuniorum, vitae solitariæ s. monasticæ &c., ad gratiam Divinam

nam & remissionem peccatorum obtainendam, quo sic obviam
irent populari errori solam Fidei Christianæ externam profes-
sionem ad salutem consequendam esse necessariam. Exortis
vero seculo IV:o controversiis variis in primis cum PELAGIO,
Monacho Britanno, pio certe & emendandorum morum in
Ecclesia Christi studiosissimo, at in Articulis de peccato Ori-
ginali s. homini innata corruptione naturali, de libero Arbitrio,
& de viribus humanis ad justitiam & sanctitatem coram Deo
assequendam in nobis residuis, graviter hallucinante, locum
quoque hunc de Justificatione & accuratius & subtilius, præ-
eunte in primis AUGUSTINO, Hipponecum Episcopo, tractare
coeperunt reliqui orthodoxæ Ecclesiæ Doctores, quo firmam &
illibatam servarent Doctrinam Pauli, ex mera scil. gratia, nul-
loque bonorum nostrorum operum considerato merito, remitti
peccata omnibus in Christum creditibus; quem vero γνησιως
Biblicum Doctrinæ gravissimæ typum variis iterum modis im-
mutabant & corrumpebant Theologi plurimi Scholastici, præ-
sertim qui THOMAM ducem sequerentur, urgentes nempe ve-
niām peccatorum obtineri non solum per & propter meritum
Christi, sed & per infusam quandam in animum justificandi gra-
tiam & justitiam Divinam, quæ per caritatem variaque bona
opera se exferat, adeoque vitam æternam mereatur; in qua
quidem hujus dogmatis tradendi ratione prima semina latent
errorum, quibus Pontificii, sequentibus ad Reformationem usque
seculis, locum de Justificatione hominis peccatoris coram
Deo, ut & gloriam Redemtionis Christi, inepte offuscarunt,
meritis operum ea attribuentes, quæ non nisi beneficio Di-
vino gratuito, viva & salvifica in Christum Fide nobis oblato,
competunt.

Adauita postmodum per iniquitatem temporum fœda in
rebus Christianorum sacris ignorantia & superstitione, & cre-
scente simul indies Hierarchia Romano-Papistica, non minus
conscientiis, quam systemati Theologico & cultui Divino pu-
blico pro arbitrio imperante, novæ variae & perversæ notio-
nes

nes de Gratia, de Fide & perfectione Christiana in hanc doctrinam illatæ sunt, in primis postquam bonorum operum & satisfactionum nomine ornare inciperent inventa & instituta varia mere humana ad luendam peccatorum pœnam, nullo cum vera & salvifica fide nexus juncta, utpote vota monastica, & coelibatus his proprius, dona templis & cœnobiis larga manu collata, peregrinationes ad loca sancta institutæ, jejunia & aliæ variae castigationes corporum, missæ diligenter & quotidie tam publice quam privatim, non minus pro vivis quam pro mortuis, celebratæ, invocationes Sanctorum assiduæ, vicies una hora ad rosarium repetitæ preces, & quæ plura alia his similia fuere, *puerilia & non necessaria opera* in Aug. Conf. Art. XX appellata; quibus denique fastigii quasi loco superadditum est turpe & impium commentum de remissione quorumvis peccatorum, *Indulgenciarum*, ut dici solebant, privilegio numerata pecunia, h. e. auro & argento e thesauro ditissimo *Operum supererogationis*, Ecclesiæ & Papæ, ut ferebatur, administrationi commisso, redimenda; quæ omnia Religionis Christianæ nefanda dehonestamenta b. LUTHERO demum & ansum & animum suppeditarunt pia ineundi consilia de reformanda Ecclesia, a primæva institutione & dignitate adeo delapsa, ut Christianam ipsam quondam fuisse jam vix præsumere licet.

Quæ & quanta immortalis viri fuerint merita in doctrina Evangelica de *Justificatione* in primis a corruptionibus & ineptis additamentis Papistarum repurganda, & ad simplicitatem veritatemque suam Biblicalam accommodanda, jam in antecedentibus paucis monuimus; quæ pia & erectiora animi sui sensa primum publice explicare ausus est in XCV Thesibus Theologici argumenti, quas valvis Templi Wittebergensis d. 31 Octobris 1517 affixas, e rostris Academicis dein maximo cum auditorium omnium ordinum applausu defendit & pluribus exposuit; sic favente summo Numine initia saluberrimæ Reformationis faciens, cuius ingentibus beneficiis cœtus omnis Lutherano-Evangelicus adhucdum b. c. D. fruitur. Posuit in acer-

rima

rima hæcce cum Pontificiis, & ore & scriptis, diu multumque agitata controversia, tesseræ quasi militaris s. symboli loco, hominem justificari non suis operibus, sed sola Fide in Christum; quare & in vertendo celebratissimo effato Pauli, Rom. III: 28,
 Δογματικὸν γαρ, πιστεῖ διαισθέσαι αὐθεωπόν χωρὶς εργῶν νομού, sententia Apostoli reddidit: *Judicamus nempe, justificari hominem sola fide, sine operibus legis,* addito jam in translatione vocabulo *sola s. allein*, quod in textu Græco non exstat, multum ideo, & ne quidem immorito, & a Pontificiis & a suis reprehensus, cum res ipsa eadem certa & salva maneat, sive vocabulum illud *allein* h. l. addas sive omittas. Ipsum vero hac ipsa phrasí: *Fide sola justificamur*, serium virtutis & verum bonorum operum studium minime improbasse, s. minus necessarium reputasse, quem errorem immerito, & ad nauseam usque, ei reprobrare solebant infensi adversarii, innumera fere loca, quæ ex scriptis ejus excitari possent, comprobant; comprobant imo quæ in *Augustana Confessionis* Art. IV. de *Justificatione*, Art. VI. de *Nova Obedientia* & Art. XX. de *Bonis Operibus* brevius, in *Apologia* vero ejusdem *Confessionis* Cap. II & III his de rebus futilis disseruntur, quæ postremo in primis citata loca materia controvèrsiam bene adeo & subtiliter, tantaque tam dialectica quam exegética arte, Sacrae Scripturæ convenienter exponunt, ut solidiorem sapientiusque & moderatius institutam ejus tractationem vix desideres.

Oriebantur interim LUTHERO jam vivo, & præsertim post ejus e vita discessum, multæ & gravissimæ dissensiones, tam extra quam intra Ecclesiam Lutheranam, de *necessitate bonorum operum ad salutem*, ad logomachias vero potius Theologicas, accuratiore rei instituto examine, quam ad *vera & graviora de Religionis nostræ Dogmatibus opinionum divortia referendæ*; quæ tamen, cum majori quam par eslet animorum fervore inciderent inter eos, qui ea ad salutem absolute *necessaria*, illosque ab altera parte, qui ea ad salutem *noxia esse*, pejori

certe loquendi genere, si non consilio, statuerent, litem hancce dirimendam sibi sumlerunt pii Confessores in *Formulæ* sic dictæ *Concordie Epit.* ut & *Solida Decl.* Capp. III & IV; quibus locis, quamvis eximum pretium virtutum Christianarum agnoscant ac celebrent, easque etiam exercendas esse quam maxime urgeant, ad evitandam tamen amphiboliam, et ne cum Romano-Catholicis de merito bonorum operum consentire viderentur, rejiciunt loquendi formulas, quamvis jam dudum & a MELANCHTONE, & aliis orthodoxis Theologis exhibitas, & in se certe innoxias, modo rite explicentur & intelligentur: *Bona opera sunt necessaria ad salutem: impossibile est sine bonis operibus salvum fieri; nemo sine bonis operibus salvatus est e. f. p.*; cujusmodi vero inutilibus & minoris certe momenti controversiis abstinere didicerunt tandem nostrorum temporum sapientiores & moderatores Theologi.

Quid! quod recentiores Doctores plurimi in ipsa Romano-Catholica Ecclesia (*), jam saniora multo quam olim in hoc loco persequendo & sentiant, & verbis exprimant, Gratiae Divinæ omnem, nostris vero meritis vim & efficaciam nullam, in remissione peccatorum & salute nobis paranda tribuentes, docendo nempe: *Gratiam dari, eandemque secundum merita distribui, repugnantia sunt; excludit enim gratia meritum, dicente Apostolo: Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia* Rom. XI: 6. Et de ope hujus gratiae ad conversionem nostram necessaria: *Ea cum sit animorum humatorum corruptio, ut simus alieni a boni verique studio, proclives*

* Ex his consuluerimus in primis *Engelb. Klüpfel*, Theol. Doct. & Prof. in Univers. Friburg. qui in *Instit. Theol. Dogmat.*, Viennæ 1802 & 1803 iterum editis II Vol. 8:o, media inter novatores & avitæ superstitionis tenaces defensores ingressus via, Doctrinam Ecclesiæ suæ, & veritatis & pacis studiosissimus, egregie proponit. Cfr. in primis quæ hic spectant Vol. II pagg. 275, 276, 288 - 97, 308, 319 &c.

clives autem inde ab adolescentia ad malum, facile conficitur aduersus Pelagianos, Divino adjutorio nobis opus esse ad emendandam naturæ pravitatem recteque agendum, quod S. Scripturæ loca multa perspicue edocent, velut Joh. XV: 5. 2 Cor. III: 5, Phil. II: 13, IV: 13. Et quamvis in definienda *Justificatione*, illam esse dicant *Divinam actionem*, qua Deus homini ob meritum Christi peccata condonat, eumque interiori renovat ac regenerat, infusaque sanctificante gratia, filium adoptivum, regnique cœlestis hæredem constituit, sicque *Justificationem* a *Sanctificatione* haud distingvant, sed affirment, præeunte PAULO 1 Cor. VI: 11, *Justificatione conferri & remissionem peccatorum & sanctitatem iustitiamque internam*; cum nos *Protestantes* contra *Justificationem* constituamus in sola remissione peccatorum, sive in forensi duntaxat declaratione, quod coram Deo, ob meritum Christi, justi reputemur, animi vero internam emendationem, tamquam effectum s. consequens *Justificationis*, ad alium gratiæ *Divinæ actum*, scil. *Renovationem* s. *Sanctificationem* referre soleamus; facile concedet tamen æquus quisque harum rerum arbiter, hæc ab utraque parte diversis licet verbis aliter expressa, facile & inter se, & cum S. Scripturæ effatis conciliari posse, cum & nos Lutherani jure quidem & recte doceamus, jam in ipsa *Regeneratione novum & mutatum animi habitum*, s. *metanoia*, cum odio peccati novæque & sanctioris vitæ proposito conjunctum, in nobis effici, Fidemque vivam, quæ *Justificationem* antecedere debet, inde a suis primordiis haud carere posse piis melioribusque animi sensibus, & per caritatem tam in Deum quam proximum semper operari, s. vitam viresque suas exercere debere; unde patet quam difficile sit diversa quedam temporis momenta *Justificationis & Renovationis* ipso actu accuratius definire, quamvis cogitatione distingvi queant; quare & cum Rev. KLÜPFEL asserere audemus, totam hanc *controversiam*, quæ nos inter *& Pontificios* (saniores nempe) hodie intercedit, ad meram logomachiam referendam esse, adeoque *Andabatarum more* nos inter *& ipsos*

ipsoſ ſuifje dimicatum haſtenus, modo aperte & accurate ab u- traque parte statuatur, hominem credentem iuſtificari gratis propter meritum Chriſti Fide apprehenſum, minime vero propter meritum quoddam ſuæ novæ emendatæ mentis ſuorumque bonorum operum, quibus remiſionem peccatorum & iuſtificationis gratiam promereri numquam valet; quo quidem rem ex- plicandi modo, prout recte obſervat idem acutissimus Roma- nenuſ Theologus, quod de merito & ſanguine Chriſti ejus- que pretio ſentire debemus, neutiquam minuitur, ſed augetur po- tius atque illuſtratur.

Fatendum quidem etiam in Scriptis Romano Catholicorum nostri ævi, quemadmodum apud prædeceſſores iſlorum, manda- torum obſervationem ac virtutum opera, quibus Deus ex gra- tia & bonitate ſua mercedem addixit, meriti nomine inter- dum compellari; at cum ſimul certum fit, Patres quoque ortho- doxos veteris Eccleſiae vocabulum meriti eodem ſenſu ſæpius adhibuiſe; MELANCHTONEM imo nonnumquam in Locis ſuis Com- munib⁹ urgere: *Bona opera, cum placeant fide propter Media- torem, mereri prämia ſpiritualia & corporalia, in hac vita & poſt hanc vitam, CHEMNITIUMQUE iſpum in explicatione Locorum MELANCHTONIS de bonis operibus aſterere: Appellatio meriti eſt uſtata Patrib⁹, & nominant meritum opus mandatum a Deo, factum a renatis in fide, quod habeat promiſiones in fide, ſive in hac ſive in altera vita; patet loquendi formulam, quamvis offendionis baud expertem, facilem tamen habere excuſationem, cum vocabulum mereri hoc ſenſu adhibitum, ex ſtilo veteri Ec- cleſiaſtico, nil aliud tere ſignificet quam conſequi; in primis cum qui illo adhuc ad morem priſcae Eccleſiae Romano-Catholi- ce utantur, hanc Evangelicam omnino interpretationem ei hodie ſubjugant: Abſit autem, ut quis exiſtimet docere nos aut ſentire tam magnifice de bonorum operum prafiantia, ut ſtatuum opera noſtra intrinſeco ſuo valore vitam aeternam mereri. Persuafum enim habemus, pleneque ſumus convicti, non ex dignitate operum, quæ*

quæ fere semper vitirosa sunt, ac multis modis inutilia, aut si undeque bona sunt, pluribus aliis titulis debeantur Deo, praeterquam quod opera inter atque mercedem nulla sit proportio; sed solum ex Divina gratia, pacto & promissione liberali propter meritum Christi, qui haec ipsa opera in nobis operatur, & sua in nobis dona coronat, dum mercedem & aeternam salutem nobis tribuit, repetendam esse. Unde non habet, quod temeraria meriti opinione inflatus in se quisquam confidat plus aequo, aut superbiat; quandoquidem pretium omne meritumque Christianorum operum, ex gratia sanctificante, quæ nobis in Christi nomine gratis datur, quæque ab ipso tamquam capite in nos cœu membra dimanat, unice proficiscitur. Nulla enim est justitia, quæ sit nobis propria, sed ex Christo ejusque meritis & justitia, & sanctificatio & redemptio nostra est. (*) Quam belle! quam S:æ Scripturæ, & Formulæ Fidei Ecclesiæ Lutheranæ ex ase convenienter dicta! E quibus præmissis hæc dein deducitur meriti definitio, quod scil. sit: opus bonum ab homine justo, ope gratiæ auxiliantis merito Christi concessæ peractum, cuique Deus ex misericordia liberali mercedem, quam promisit, retribuit; contra quam vix quicquam habemus quod moneamus, usum tamen ambiguī vocabuli in hacce doctrina proponenda minime approbantes, nec commendantes.

§. 10.

Sunt hæc, quæ jam attulimus, præcipua certe capita in se simplicissimi, gravissimi tamen, Dogmatis de Justificatione nostra coram justissimo & sanctissimo omnis boni rectique acerrimo vindice, at simul omnis gratiæ & misericordiæ uberrimo fonte

&

(*) Vid. Klipfel L. c. p. 313, 314, dogmata suæ Ecclesiæ contra dissentientes, & hoc & aliis locis strenue tamen defendens.

& æquissimo dispensatore, quæ itaque ex auctoritate Sacrarum Litterarum & in animo intemerato sovere, & publice profiteri piuum quemque decet Ecclesiae Lutherano-Evangelicæ Doctorem & Theologum. Hoc namque fundamento, diu multumque agitato & quassato, nondum vero concusso, nec in æternum concutiendo, nititur adeo omnis nostra fides, omnis animi & conscientiae tranquillitas, omnisque futuræ felicitatis spes, ut si illud corrueret, in his terris infelicissimi essemus, nobis met ipsis miseris in procuranda emendatione nostra morali toti quanti relieti, & destituti suavisissimo illo solatio, nobis per & propter Christum, Expiatorem nostrum benignissimum, peccata omnia ex gratia remitti, beneficiaque infinita & immerita per fidem solam in ipsum tribui. In hac itaque salutis nostræ basi & acropoli firma & inconclusa fide ad extreum usque halitum inhæreatus, vestigiis divi Apostoli PAULI jugiter cum AUGUSTINO insistentes, & cum ipso affirmantes; per hanc Doctrinam de Justificatione stat Ecclesia, quæ in terris est; per hanc non perit quod perierat & inventum est; & cum b. LUTHERO in Artit. Smalcaldd. Art. 1. De hoc Articulo cedere, aut aliquid contra illum largiri aut permittere, nemo piorum potest, etiam si cælum & terra & omnia corruant.

Corrigenda in Antecedentibus.

Pag.	2	lin.	4	pro:	quarum	1.	quorum
—	—	—	19	—	Stifters	—	Stifters
—	—	—	26	—	griinde	—	gründe
—	3	—	13	—	fint	—	fint
—	15	—	17	—	animos	—	animo
—	23	—	10	—	Θεαντρωπ&	—	Θεανθρωπ&
—	—	lin. ult.	—	immunera	—	innumera	
—	28	7	a fine	—	simplicitate	—	simplicitate